

caus propter quod ab aestu solis cito exurit, & arescit. Sic propositum bonum, quod ex verbo Dei concipitur in corde non disposito per patientiam, debile est, & infirmum, etiam superueniente aliqua tentatione, aut aduersitate cito euanescit. Tertiò oportet eos habere contemptum presentium, & hoc est contra illos, qui in spinis, in quibus amor presentium, & sollicitudines suffocant verbum. De illis igitur intellexit dominus, cum dixit, Quod autem in terram bonam, hi sunt, qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent in memoria, & fructum afferunt in patientia &c. Oportet igitur in nobis esse cautelam, & memoriam contra primos, quia negligentes, & vagi. Fortitudinem, & deuotionem contra secundos, quia debiles aridi. Contemptum mundi, & sollicitudinis contra tertios, quia mundanarum rerum serui.

Modica  
vel nulla  
spes salu-  
tis eorū  
qui ver-  
bum Dei  
omnino  
non au-  
diunt.

Sed si negligentes verbi auditores à domino arguuntur, quid quæso de illis sperandum est, qui verbum Dei omnino non audiunt, qui vt ait apostolus secundo ad Timoth. quarto à veritate auditum auertunt, ad fabulas autem conuertuntur, qui scilicet festos dies in mundi vanitatibus deducunt, quid de eis sciendum, nisi quod Christus Ioann. octauo, ait, Qui ex Deo est, verba Dei audit, ideo vos non auditis, quia ex Deo non estis? Certè modica, vel nulla spes est de eorum salute, vt Gregor. ait, quoniam per se non faciunt, nec in libris legunt, nec in sermonibus erudiuntur, quid agendum sit, quid vè fugiendum, quomodo ergo vel bonum norunt facere, vel quæque pessima declinare.

Nec tales prædicatorem spernunt, sed seminatore, qui est dominus, vt dictum est dicente eodem domino Ezech. tertio. Nolunt audire te, qui nolunt audire me. Nonne ipsi sunt, qui opere dicunt prædicatori, sicut olim populus ille duræ cervicis Moyfi. Recede à nobis, vt seruiamus Ægyptis Exod. decimoquarto. Immo dominus

dicunt, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Iob vigesimo primo. Et iterum, Quis est omnipotens, vt seruiamus ei, & quid nobis prodest, si orauerimus eum? Et statim præmittitur, Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

Sed audiant, quid dominus comminatur Matth. decimo. Quicumque non audierint sermones vestros (loquitur ad apostolos, quos misit ad prædicandum) Amen dico vobis, quia tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicii. Formidabiles denique eis penas comminatur Hier. sexto, quibus verba Dei facta sunt opprobrium, vt audire non possint. Quare charissimi & si non Deum, diuinum tamen iudiciū formidantes, de cætero non diligen- tia audiamus verbum Dei, & custodia mus illud, non vt penas perpetuas, sed fructum centuplum consequamur. Præstante do. &c.

## DOMINICA IN Sexagesima Sermo

I. in ordine.

XXII.

**E**X II T qui seminat seminare semen suum. Luc. 8.

Conducti sumus ad operandum in agro ecclesie dominica præcedenti.

Ad est seminis ministrator, seminis utique boni, afferentis in terra bona fructum tricesimum, sexagesimum, vel centesimum. Sunt autem tria, quæ in agro materiali seminis fructum suscipiunt, via, scilicet petreæ, & spinæ. Ita in agro spirituali animæ nostræ, si clausus fuerit, si eicisti lapides, si eradicate spinæ, semen fidei, quod est per verbum Dei, domino dante dat incrementum infuse desuper charitatis. Quid. n. semine salutis nisi fides, quæ sperandam substantiam est rerum. He. 11. Sic semine supbia

Semē q  
in agro  
lib. arb.  
seminare  
debemus  
est ver-  
bū Dei.